

PRAEFATIO

Decadem *Enarrationum* 141–150 edendi proprio volumine haec nobis ratio fuit, quod a superioribus seiuncta traditur codice proprio Corbeiensi, nunc Parisino 12183 (quod volumen littera C_1 notatum ultimum est ex tredecim quibus constat collectio illa omnium *Enarrationum*), sicut seiuncta solaque habetur in codice antiquissimo atque potissimo Augustodunensi 107, quem siglo U designavimus, cui proximus in stemmate est codex Casinensis rescriptus f_3 , qui et ipse hanc solam decadem olim habuisse videtur.

Si excipias *Enarrationem* 150 quae dictata est, ceteri sunt sermones ad populum. De hoc genere oratorio sufficiant interim quae iam diximus in Praefationibus duorum superiorum voluminum, scilicet CSEL XCV/3 et XCV/4.

Quando vel ubi Enarrationes 141–150 sint exortae

Omnia quae aut certa aut credibilia de *Enarrationum* temporibus vel locis habenda sunt, summatim exposuit Hildegund Müller¹, cuius compendium ante oculos habentes, quae sequuntur ita perstrinximus: *En.* 141 habita est Hippone (ut putat A. M. La Bonnardière) die festo martyrum, postridie quam *En.* 140, et ambo post a. 403². *En.* 142 dictam esse Carthagine XVII Kal. Oct., a. 412, postridie quam *En.* 86 habita est, aestimat Petrus-M. Hombert³. Indiciis non cogentibus vix adfirmari potest cum eodem Hombert *En.* 143 dictam esse a. 406 ante *En.* 120⁴; neque

¹ H. Müller, art. *Enarrationes in Psalmos, philologische Aspekte*, in: *Augustinuslexikon* 2, coll. 809–829.

² Cf. *En.* 141,1,1; 19,43sq.; A.-M. La Bonnardière, *Les Enarrationes in Psalmos, prêchées par saint Augustin à l'occasion de fêtes de martyrs*, in: *Recherches August.* 7 (1971), pp. 89–95; P.-M. Hombert, *Nouvelles recherches de chronologie augustiniennne*, Paris 2000, p. 344, adn. 8.

³ Cf. Hombert, *Nouvelles recherches...*, p. 624sq.

⁴ Cf. *ibid.*, p. 558,18.

satis firmis argumentis probari potest eam ante En. 136 ponendam⁵, certe tamen eo die quo epistula apostolica Gal. 5,17 in ecclesia legebatur⁶. En. 144, ex eo quod in Uticensi basilica Mas-sae Candidae dictam esse testantur tituli nonnullorum codicum potiorum, et ex propria illius diei lectione evangelica Matth. 19,16–30⁷ coniectura capitur die festo martyrum (scil. XV Kal. Sept.)⁸ habitam esse; utrum autem annis 416–417 tribuenda sit, satis certum non est⁹. En. 145 exortam esse Hippone a. 408–411 conicere licet¹⁰. En. 146 probabiliter proxima est *Enarrationibus* 103, 80 et 102, ideoque mensi Decembri anni 403 eam tribuit Petrus-M. Hombert¹¹. En. 147 brevi intervallo temporis post sermonem Dolbeau 5 habita est, Carthagine satis certe, Dec. a. 403 vel 409 probabiliter, ut putat idem Dolbeau¹². En. 148 Hippone post Pascha, a. 408–411, dicta est¹³. En. 149 probabiliter annis 397–406 Carthagine habita est¹⁴. En. 150 credibiliter post a. 419/420¹⁵ dictata est.

⁵ S. Zarb, *Chronologia Enarrationum S. Augustini in Psalmos*, Melitae 1948, p. 155 et 173; cf. infra app. fontium ad 143,18,51sq.

⁶ Cf. En. 143,5,2.

⁷ Cf. En. 144,2,12sqq.

⁸ Cf. En. 144,3,33 *nunc autem per aetatem...*

⁹ Cf. O. Perler - J.-L. Maier, *Les voyages de saint Augustin*, Paris 1969, p. 338; La Bonnardière, *Les Enarrations ... de martyrs*, p. 87sq.

¹⁰ Cf. A.-M. La Bonnardière, *La prédication de saint Augustin sur les Psaumes à Hippone*, in: *Annuaire de l'École Pr. d. Hautes Ét.*, V Sect., 86 (1977–1978), p. 340.

¹¹ Cf. Hombert, *Nouvelles recherches...*, pp. 581–584.

¹² Cf. F. Dolbeau, *Vingt-six sermons*, p. 433 et 637.

¹³ Cf. En. 148,1,16sqq.; La Bonnardière, *La prédication... à Hippone*, p. 340.

¹⁴ Cf. F. Dolbeau, *Vingt-six sermons*, p. 508; Hombert, *Nouvelles recherches*, p. 368; En. 149,7,2 *in civitate loquimur*.

¹⁵ Cf. La Bonnardière, *Recherches sur les grandes Enarrationes in Psalmos dictées d'Augustin*, in: *Annuaire de l'École Pr. d. Hautes Ét.*, V Sect., 87 (1978–1979), pp. 320–322; ead., *Recherches de chronologie augustinienne*, Paris 1965, pp. 132–140.